

DE
TYPHO CONTAGIOSO
DISSERTATIO,

CÜJUS PARTEM TERTIAM
VENIA EXPERIENTIIS. FACULTATIS MEDICÆ ABOËNSIS
PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT
ISRAËL HVASSER,
MED. DOCTOR, CHIR. MAG. REGII COLL. SANIT.
HOLMIENS. MEMBRUM.

ET
CAROLUS FREDRICUS RELANDER,
WIBURGENSIS, STIPEND. BILMARK.

IN AUDIT. MEDICO DIE XXVI JUNII MDCCCXVI.

H. A. M. S.

A B O Æ
EXCUDEBANT J. C. FRENCHELL ET FIL.

decrescunt, donec tandem convalescentia vera cum aucta omnium functionum, oranicarum imprimis, agendi vi ineat & hominem, quoad nullæ in morbum recidendi causæ adsint, ad sanitatem restituat haud raro perfectio-rem, qvam qvæ ejus ante febrim fuerit fors.

§. VI.

Normali huic formæ magis minusve conveniens in concreto apparet febris typhodes, tot diversis existendi modis variata, ut, qvī eam sub una aliquā formarum a norma aberrantium observarunt, auctores, non solam penitioris ejus essentiæ explicationem, sed & inde natam medendi methodum propoluerint, qvæ cum ea omnino discordat, qvam alii unius itidem alicujus aberrationis obseruatores præceperunt. Minoris momenti varietates, qvæ ex parvis sæpe nascuntur rebus, nec, qvod ad curationis summam spectat, præcipuam postulant mutationem, non est qvod, qvum normæ sint propiora, inter anomalias tractentur. Sic sæpe accidit ut interruptus, quo sibi succedunt symptomata, immutetur ordo, ut serius igitur qvam septimo die erumpat & interdum omnino non compareat exanthema, ut, qvem octavo die incidere diximus, ad nervosum ab inflammatorio charactere transitus, prius non fiat qvam decimo vel undecimo die ut criticis, qvæ decimo quarto die veniunt, evacuationibus non finiatur febris, sed ad decimum septimum, qvin etiam primum & vigesimum usqve diem producatur, ante qvam perfecta omnino solvatur crisi. Neque minores hæ declinationes in morbi majori qvadam interioris essentiæ muratione positæ videntur, nec sæpe singularem sibi vindicant in curatione respectum. Sed majores incidunt anomaliæ, qvæ ex indole, qva constitutio dominans

& aliæ majoris momenti res imbuunt febrim, nascuntur,
 & hæ qvidem, tam quod ad symptomata & causas, qvam
 qvod ad curationem spectat, propriam sibi postulant con-
 siderationem. In toto vero poterunt hæ anomaliæ ad se-
 quentes referri præcipuas exsistendi rationes, ex qvibus
 aberrantes, qvæ in concreto occurunt, febris typhodis
 formæ, si inde excipiuntur, qvæ ex unica sua cujusque
 conditione gignuntur, confociationes, ita judicari & cu-
 rari poterunt. — — Typhum Phlogisticum appellabimus
 eam typhi formam aberrantem, ubi systematis vascularis
 irritatio, qvæ sub normali febris decursu, in parte qva-
 dam corporis scilicet, catarrhalibus tantum symptomati-
 bus, in pectore & abdomine punctionibus, & circa re-
 gionem hepatis tensione se prodidit, jam in eo suam
 manifestat vehementiam. qvod veræ, ardentes & in sup-
 purationem vel gangrænam cito abeuntes oriantur inflam-
 mationes. Ut diversæ exsistendi rationes phlogistici hu-
 jus characteris, qvi in qvibusdam casibus insignire solet
 typhum, a se invicem distingvi debent ea, sub qva ce-
 rebrum maxime ad inflammationem inclinare videtur, &
 hæc ubi aucta systematis vascularis actio magis ad inflam-
 mationem vilcerum in abdomine, in primis hepatis, accen-
 dendam spectat. Qvando inflammatio cerebri, auctæ sys-
 tematis vascularis actionis indicium sub inflammatorio adest
 febris typhodis stadio, tum aut stupor ille, ex qvo normalis
 ejus forma characterem trahit, in furibundum mutatur
 delirium, qvod comitantur vehementes lancingantes capitis
 dolores, intensus faciei rubor, turgidae venæ, aucta oculorum
 impatientia, ut lucis non sustineant stimulum, sed
 coarctetur pupilla; durior fit arteriarum pulsus, celer &
 inordinatus neqve sine difficultate mittitur urina; aut a-
 poplecticus incidit sopor, ex qvo non, qvemadmodum
 sub normali febris decursu, facile excitatur æger. Sub
 hac

hac forma interdum epidemice grassari solet typhus, ut
 quidem obseruavit Burroughs; (*) singulos vero magis
 infestantem viderunt Haller, Pringle & Hildenbrand. Al-
 tera vero inflammatorii characteris ratio, quam induere
 solet febris typhodes, ubi scilicet inflammatione afficiun-
 tur viscera abdominis, in primis hepatis, satis in sympto-
 matibus prope accedit ad similitudinem occurrentis in
 India occidentali febris, quae dicitur, flavae seu Typhi i-
 sterodis. Sentitur in regione epigastrica & hypochondriis,
 maxime dextro, calor ardens cum obtuso dolore. Au-
 etiam ventriculi irritationem indicant vomitus inanes &
 dolorosi, quibus redduntur omnia. quæcumque sumferit
 æger, quin potionis etiam mitissimæ. Sitis urens & in-
 tolerabilis, album oculi & cutem corporis occupans fla-
 vedo cum aliis hepatitis signis adveniunt, quæ cum
 propriis morbi symptomatibus periculosissimam consti-
 tuunt morbi formam, quæ mihi quidem archetypum es-
 se videtur imaginum horrendarum, quas sub nomine pe-
 stis bellicæ, typhi pestilentialis c. c. a. diversis auctoribus
 delineatas vidimus. — E dominante constitutione, antea
 commissis in diæta peccatis aliisve rebus prognatus sta-
 tus gastricus, si apud hominem typho laborantem oritur,
 decursum febris mutat, symptomatum anomaliam efficiens,
 quæ magis minusve a normali febris forma aberrat. Quæ
 gastricas ejusmodi complicationem indicant symptomata,
 pro peculiari ejus conditione variant, sive sit ea biliosa
 sive pituitosa sive saburralis. Ad vomitum & diarrhoe m
 proclivitas, vehementiores abdominis dolores & meteo-
 rismus, qui saepè adsunt, absentibus quamvis status veri
 inflammatorii signis, evidenter sunt signa, quæ præcipuum
 ga.

(*) Bibliothèque de la Medicine Britannique redigée par Millingen
 & Matthews.

gastrici systematis vitium testantur. Quæ provectioni febris stadio interdum superveniunt, ulcuscula serpentia oris sive aphthæ, haud inepte forsitan existimentur anomalum criticorum organismi moliminum phænomenon, idque gastrica irritatione promotum. Tertiæ vero existendi rationi, qvam sequitur anomala febris typhodis forma, denominationem typhi nervosi addendam putamus, qvando scilicet propter asthenicam sive nervosam hominis constitutionem, id, qvod præcipuo systematis nervosi vitio insignitur, stadium aut prius init, qvam sub normali febris decursu evenire solet, aut insolita magis & vehementiora s cum-fert symptomata, qualia sunt totius corporis tremor, convulsiones multimodæ, chorea, venatus flocculorum, trismus, c. c. Pertinet etiam ad nervolum febris characterem magnus ille debilitatis gradus, propter quem systematis vascularis vis agendi, minuto nervorum momento, adeo est infracta, ut ad morbi crisi, aucta organorum fecernentium actione, conferre nihil possit, sed in sanitatem, nisi ex asthenico illo statu nascatur mors, restituitur homo sensim tantum & pedetentim, nullis, quæ decrementum morbi comitantur & convalescentiam præparent, notabiliter auctis secretionibus, sive per lysin, ut ajunt veteres pathologi, solvitur febris. — Dignam illam notatu rantaqve diligentia notatam conditionem, quæ status putridi nomine est ab auctoribus descripta, persæpe cum febre typhode complicitam invenimus. Eæ typhi formæ, qvæ ex hujus conditionis symptomatibus characterem trahunt, adeo sub certa rerum ratione sunt vulgares, ut non solum ex iis denominata sit ipsa febris, sed ea etiam pathologorum secta, qvæ ex humorum mutationibus profecta voluit singula cujusque pyrexiae symptomata, tantum tribuerit his phænomenis momentum, ut obliuiscens eadem non, nisi ut qvæ interiorem organismi

nismi statum morbosum conseqvuntur, æstimanda esse, pro indiciis habuerit, qvibus universalis humorum organi conditio sese manifestaret, qvam igitur interiorem febris esentiam constituere contendit. — Cum statu hoc putrido, qvem manifestant sudores viscidii, guttatum profuentes, frigidii, diarrhoea asfidua ægro infcio, cadaverosa, fœtidissima, sœpe verminosa; hæmorrhagiæ variæ, narium, pulmonum, gingivarum, oculorum, cutis, systematis uropoëtici, ulcerum veterum c. c. sangvine tenui soluto; locorum cubando presorum, ad coccygem, trochanteres, cubitos, gangrenescientia facilis, cita lateque terpens; cum hoc inqvam statu cohærens iterum prorumpit, ut mos est, undecimo vel duodecimo die variabili specie exanthema, sive petechiæ, qvas dicunt, secundariæ. Induere qvam maxime solet formam macularum & vibiæ lividarum nigrescentium vel purpurascentium. Jam vero sive pathologiam sive therapiam respiciam, necessaria mihi videtur distinctio colligativi status, qvi ut symptomata succedaneum sequitur, qvoties primum febris typhoidis stadium vehementius fuerit inflammatorio charactere notatum, in primis qvoties hic ad inflammanda viscera abdominis tenderit, ab illo, qvando vehementioribus nullis inflammationis signis prægressis, idem in proximiori febris stadio init præcipuam systematis nervosæ affectionem indicaturus. Nervosæ seu septicæ, qvæ dicuntur viscerum inflammations, qvæ nervoso febris studio superveniunt, & qvarum veritatem interdum non, nisi post mortem, discimus ex anatomico cadaveris examine, nexu mihi videntur arcto cohærente cum symptomatis, qvæ proprie dicuntur, putridis, atque si non ex eodem plane, saltet cum iis prope congruente ægrotantis organismi statu proficisci. Qvod ad symptomatum vehementiam attinet, admodum est variabilis typhus, qvi in-

indulgenti hodie indutus forma, quam sub typhi mitissimi nomine nonnulli retulerunt auctores, ubi vix lectum tenet æger, horrendum alio tempore sumit pessimæ notæ vultum, cuius imaginem in descriptionibus typhi pestilentialis expressam habemus. Perfecutus ego normalem typhi decursum eqvidem interposui quædam, quibus mitigior febris carere solet, symptomata; sed mihi visum est non experientiæ congruere, velle in hoc morbo ex mitigationibus &c. quod doleamus, rarius incidentibus casibus formæ normalis imaginem concipere.

§. VII.

Examinaturi, quomodo externæ sese habeant res, quando oritur typhus, necesse est. ut ad eas primum attendamus, quorum præfentia ad peculiarem hanc febris speciem producendam necessariam habent relationem effectivam quiesquam in disquisitionem vocamus diversam diversorum hominum ratione in, qua hisce momentis morbificis magis minusve pateant, sicut eas quoque conditiones, quæ quamvis ad excitandum febrim non absolute necessariæ, tæpe tamen præfentes in culpa sunt, cur faciat morbi character atque decursus aliquam earum a norma aberrationum, de quibus supra locuti sumus. Organicas putredine correptas res habere nocivam organismum vivum afficiendi vim, est quidem ab omnibus comprobata veritas; utrum vero efficacia differant pro quantitate tantum & putredinis gradu, an in dissimili qualitate positæ sint dissimiles quæ ex iis gignuntur, morborum formæ, alia est non minimæ questionis res. Posteriorem hanc rem testari videtur experientia. Febris flava & paludosis in locis endemice græsantes febres remittentes gastricæ & intermittentes ostendere videntur, ve-

vegetabilium, quæ putrescunt, exhalationes præcipue affi-
cere vegetativam organismi orbem; cum contra anima-
lia eodem vitio corrupta cerebrale nervorum systema præ-
fertim infestant. -- Nec a fide abhorret, effluvia, quæ
exhalant mortua animalium corpora, pestilentiori tantum
ingenio differre ab iis, qvæ e vivis vaporata coeundo
& stagnando in putrem abeunt naturam. ex quo etiam
fit, ut febris typhodes, si a diversitate diverso in cœlo
posita discesseris, qvod ad internam pertinet esentiam,
propinquæ cognitione pestem attingere videatur. Febrim
typhodem originitus gigni ex miasmate qvodam, qvod
ex collectis congregatorum clausis in locis hominum ef-
fluviis nascitur, veritas esse videtur, qvam experientia te-
statur & pleriqve comprobant auctores. In eo qvidem
dissidet Bancroft, qvum dicit febrim typhodem, quemad-
modum variolæ scarlatina ceteraque febres exanthematicæ.
item oriri non posse sine prævio effectu specialis sui
contagii, de cuius prima origine pro certo nihil statui
posse putat. Qvod vero enuntiatum pleriqve certe ne-
que probabile neqve experientiarum contemporaneum judica-
bunt. Ex observationibus scilicet patet, qvoties in carce-
res, castra vel nosocomia major hominum multitudo co-
gatur, neqve gravidus effluvis, qvæ ista exhalant cor-
pora, aer purificandus satis simul curetur, typhodem ple-
rumqve gigni contagionem, qvæ separatis a se invicem
ægrotis sensim rursus definit, atqve si. remota collectio-
ne vaporum animalium, qvorum præsentia fecit mor-
bum, ejus propagatio a solo jam pendeat contagio, hoc
tum, ut contendit Bernhardi, tertia saltu propa-
gatione suam sanis hominibus morbum ulterius facesen-
di vim perdere omnem. Pro certo igitur haberi poterit
febris typhoidis originem non plane atqve omnino duci
& communicatione specialis cujusdam contagii, sed posse
etiam

etiam eodem absente sub certis rerum conditionibus per se produci, ut quidem contendunt Minderer, Monro, Pringle & Hildenbrand; eandem vero semel ortam gignere contagium, quo ulterius evagatur, extra omnem item dubitationem est positum, quare etiam ad rem profecto pertinebit illud proprius inspicere contagium. E prolixis hujus materiae disquisitionibus, quibus scrupulosis eam tractarunt quidam auctores, quasque in toto & in partibus heic inferre non patiuntur fines opellæ, inseqventes haec possunt colligi argumentationes. Scilicet gignitur contagium illud sub provectioni febris periodo, nervoso igitur stadio, sub crisi & stadio decrementi; volatile idem & diffusile, ut eminus etiam communicetur; certis figura corporis humoribus, quibus ut vehiculis traduci potest; pituita, pos &, quam cutis excernit, materia eam habere videntur facultatem, qua contra caret sanguis & urina; huic vehiculo conjunctum certis extra corpus rebus adhaerescit ad efficaciam postea perventurum, simul ac haec res, data proximi contactus occasione, offendenter hominem, qui ullo modo influxui pateat contagii. — Hanc typhi contagium conducendi facultatem habent lana, pluma, cannabis, linteum, foenum & similia, qua contra carere videntur metalla, terræ & alia corpora inorganica. Quamdiu contagium sub hoc induvio latens, nisi destruens ulla vis supervenerit, suam inficiendi virtutem retineat, nondum constat; ultra tres mentes manere dubitat Hildenbrand. Quæ eam extingvere valent, vires inimicæ sunt aër atmosphæricus, lux, intensior vis frigoris & caloris, & chemica quædam agentia, qualia sunt acida mineralia & aceti. Qvomodo vero ab affecto corpore excipiatur contagium, utrum per ventriculum ingeneratur, an per organa respirationis, an per cutem; utrum primario impetu nervos afficiat, an in sanguinem primum in-

intrare habeat necesse, eoqve aut per parietes vasorum
 sanguiferorum penetret aut per vasa absorbentia perva-
 niat, qvæstiones sunt, qvæ multom qvamvis ventilatae,
 indislo utræ tamen sunt relinqvendæ. — Vero quidem si-
 mile est, ut multi contendunt, efficaciam contagii pro
 intensa magis minusve vi variare. Ineptius existimatum
 est, excitati morbi vehementiam proficiunt ex majori mi-
 norive contagii, qvod eum fecit, qvanitate. Conditio,
 sub qva oritur febris typhodes ex sobenite contagio est
 præter hujus intra corpus receptionem, qvæ favente tem-
 perato caloris gradu optime succedit, sufficiens etiam ca-
 pacitas in corpore, qvod ejus vi pateat. — Est vero hæc
 capacitas in variis hominibus varia. Qvod ad ætatem e-
 nim pertinet, liberi natuqve grandes, qvam mediæ ætat s.
 homines, minus ejus injuriis patent. Foeminas, qvam vi-
 tos, facilius tentari contagio, contendunt Hildenbrand &
 Bernhardi, qvibus alii de hac re non consentiunt. Infir-
 mos & irritabiles laxisqve fibris homines periculo ob-
 noxios esse, atqve capacitatem igitur debilitantibus auge-
 ri rebus, qvales sunt vietus tenuis, penuria commodi-
 tatum &, qvæ animum erigant, negotiorum, deprimen-
 tes animi commotiones, cetera, experientia omnino te-
 statur, qvamvis ob causas, qvas qvisqve facile intelligit,
 id non concedat Marcus. Minuitur contra hæc contagii
 capacitas momentis rerum, qvæ recens memoratis sunt
 contrariae, qvales sunt vietus roborans, exhilarantes affe-
 ctus, qvi animum fustentant morbiqve timorem amovent. —
 Capacitatem, qva morbifero contagio patet organismus,
 febri ipsa typhode minui quidem sed non omnino deleri
 testatur experientia; sub stadio convalescentiae &, qvod
 huic proxime succedit, temporis spatio omnem contagio
 typhodeo succumbendi facultatem exuisit videtur corpus
 morbo jam perfunctum, qvare etiam homo, qvi superato

femeū typho contagioso, perfectam recuperaverit valetudinem contagio ejusdem saltem epidemiae iterum non afficitur — sed intra brevius longiusve temporis spatiū redit, qvæ deleta videbatur hæc capacitas, ut non amplius influxui contagii typhodes reluctari possit homo. — In qvo igitur febris typhoidis a febribus exanthematicis valde discrepat, qvæ nempe capacitatem, qva contagio peculiari paret organismus omnino extingvunt numquam in vita reddituram. — Quosdam auctores, inter quos afferantur Reuls & Becker, qui typhum contagiosum in ordinem febrium, quas jam memoravi, exanthematicarum retulerunt, in eo veritati & rationali morborum distinctioni nequaquam consuluuisse, non dubito quin plerique mecum sint judicaturi. — Jam si characterem morbi &, qvæ illum efficiunt, momenta quæris, penderet idem a constitutione corporis typho febrentis. Si homo, qui contagii vi exponitur, ob dominantem aëris constitutionem, robustam corporis constructionem & eas rerum conditio-nes, in quibus ante morbum vixit, phlogisticam habet diathesin vel, ut incitationis theoriae addicti dicunt, constitutionem hypersthenicam, necesse est, ut stadium inflammatorium vehementioribus insigniatur symptomatibus majorque accedat ad topicas inflammations proclivitas, quum contra opposita valet ratio, ubi conditio aeris & alia, qvæ debilitant, momenta prægressa in irritabilem & infirmum statum redegerint corpus. Sic in bello vidimus aliam valere rationem in curanda febri typhode, qvæ vincentis exercitus nosocomia occupat, aliam in ea, qvæ in viatos sœvit & fugientes. — Gastrica complicatio proficiscitur præterquam ex ea, quam ante morbum fecutus est æger vivendi rationem, etiam ex annuo & stationario charactere, quem vulgo habent morbi. — Character inflammatorius, quando ab hyperstheni-
ca

ca sola ægrotantis constitutione pendet, ad excitandam tendit inflammationem cerebri, ut pote maxime læsi organi; qvod si, præter contagium seu purida vivorum corporum animalium effluvia, alia etiam ad febrem typhodem movendam adjuverunt momenta, ut paludum & putrescentium vegetabilium exhalationes, qvæ ganglionum simul sistema nervosum afficiunt, tum major ad locales inflammations in abdominis visceribus maxime hepate proditur propensio.

§. VIII.

Si ab iis discesseris casibus, ubi febri typhode affectus homo per crisin perfectam, qvalem supra proposui, non solum valerudinem recuperat, sed majoris etiam perfectionis sanitatem, qvam qva fruitus est ante morbum, aut morte finitur febris, aut in alios abire solet morbos. — Incidit qvidem mortiferus exitus in nervosum sapissime stadium in eos maxime dies, qvos criticos dicunt, scilicet undecimum, decimum quartum & decimum septimum. Sæpe tamen, qvando inflammatorium febris ingenium majorem & prævalentem acqvirit gradum & inflammations aut cærebrum aut abdominis viscera urgent, morte prius finitur, qvam nervosum init stadium. Nec desunt exempla, qvæ tertio jam die vel quarto id accidisse docent. Ex præalentibus, qvæ mortem proxime præcesserunt, symptomatibus, collatis cum iis, qvas in dissectis cadaveribus detexerunt, mutationibus, id genus mortis, ubi ex nobilioris & ad vitam magis necessarii visceris destructione profecta videtur mors universalis, ab eo distinxerunt, ubi neqve phænomena mortem proxime antecedentia, nec incisi cadaveris examen indicarunt extum fatalem fuisse in causa magis topica positum. Pro diversis posterioris hujus generis modis, eum posuerant
ex-

exitum, ubi finitur vita phænomenis, qvæ majorem systematis nervosi laisionem & gravius prostratas vires indicant, nullis in seculo cadavere tanti momenti mutationibus structuræ repertis, ut ex iis creata putari posset mors; eum porro, qvando symptomata putrida proxime ante mortem maxime prævaluerunt & inciso cadavere, reperita sunt plena foetido aere cava, tenuis & putredine corrupti sanguinis extravasata, intestina sicut etiam exteriora corporis integumenta fugillationibus suffusa & gangræna particulatim affecta. Solidæ partes laxæ minuta cohærentia, ut facile discerpi possent. Mortem rursus universalem comitem pressissimam præviam organi majoris momenti destructionem, nimirum pro certo sumendum putarunt, qvoties maiores in primis cerebri mutationes sunt post mortem detectæ. Sic turgida videre licuit vasa meningum atque sanguinis serique inter membranas & in ventriculis cerebri effusiones, qvoties sub inflammatoria febris periodo succubuit æger phreniticis urgentibus signis aut apoplectico sopore. Qvando in nervoso febris stadio repente extinctus est æger apoplectico modo, pus saepe intra cranium effusum offenditur, ut affirmant Pringle, Lind & Hildenbrand. — Neque vero suppurationes & abdominis viscerum destructiones rara fuerunt post mortem spectacula, sed tum sapissime vehementia præcesserunt morbi finem symptomata putrida. Superstites, qui post finitam febrem typhodem remanserunt, morbi, duplicitis recte putantur generis. Sunt scilicet aut per metastases orti, h. e. in locali positi affectione, qvæ sub finiendis febris symptomatibus orra & postea persistens magis minusve universalem morbi formam procreat. Huc pertinent internarum & externarum partium suppurations, gangræna qvamvis non ex toto afficiens partes, qvæ vita non sunt absolute necessaria, tumores glandularum

&

& qvæ his sunt similia; aut proximi sunt vehementioris affectionis effectus, qvam ex parte vel ex toto per febrim passus est organismus. Hujus generis sunt diu nonnunquam post solutam febrim remanens langvor, major stimulorum impatientia, surditas aliaeque sensuum externorum læsiones, amentia, ad fusiorem alvum proclivitas, pollutiones & alia profluvia.

§. IX.

Inquieta Pathologorum conamina, qvibus rationalem configere studuerunt ideam interioris illius organismi status, ex qvo proficiscuntur febris typhodis symptomata, nulli hucusque temunerantur disquisitionum, qvibus contentus sis, successus. — In universum iis objici poterit, qvod in disquisitionibus suis restrictius attenderunt ad id solum febris symptoma, qvod maxime prævalere & febrim denotare videtur est, oblii ad cetera, ut par fuit, simul respicere phænomena, qvæ non minus necessarie pertinente ad febris formam, atqve in theoria, qvam tradiderunt aliquatenus qvidem probandam nonnullorum symptomatum interpretationem propoluerunt, qvæ tamen rationali reliqua explicandi rationi conciliari non potest. Theoreticum qvodqve de interiore febris natura judicium ut fallum & rejiciendum recte aestimatur, qvamdiu non comprehendat, qva sis contentus, explicationem totius symptomatum complexus, qvæ ad morbi formam necessarie pertinere testantur observationes. Qvæ per speciem qvidem unius alteriusve symptomatis causam internani eruere videatur, explicationem, qvæ vero inexplanata relinqvat cetera quid? qvod si rationali hæc considerandi rationi repugnet, ea certe qvam plane nulla pejor est, qvippe qvum nec perscrutanti contemplatori satisfaciat, sed usus pro-

professorem potius in errorem inducat. Theoriis, qvæ in hac nostra materie maxime inclinarerunt & plurimos adeptæ sunt lectatores, incompte neutriusque partis studiо examinatis, ea demum eruditur argumentationis summa, empiricam tantum febris typhodis, cuius internam naturam interpretandi conamina nulla hucusque succeserunt, delineationem fieri posse, qvum, qvæ, de hac re facta sunt judicia theoretica omnia, disciplinabilis qvæstornis desiderio non satisfaciant & rejicienda sint, qvoniam in falsam unqve parti insistentem deducunt curandi rationem. Colliquativa humorum conditio, qvæ provectioni febris typhodis periodo interdum supervenit, eorum in primis attraxit pathologorum attentionem, qui morboꝝ solidorum affectionis phænomena pro effectibus habuerunt e prævia fluentibus humorum mutatione, qvos scilicet externis injuriis protopathice affici posse putarunt. Externam igitur caulam sive sit in contagio ea seu in aliis organicis effluviis qværenda, qvæ febrim typhodem excitat, sanguini impertiri crediderunt, qvandam ad putrescendum proclivitatem, qvæ succrescendo symptomata febris procreat &, qvatenus universalem movere valeat putrefactionem, colliquativa ea se se manifestat conditione, qvam statum putridum appellarent. Qvam opinionem in præsenti refellere supervacaneum erit, ubi humorum mutationes pro effectibus habent earum, qvas subeunt solida, neqve sic a prioribus protectam putare possunt internam ullius morbi essentiam. Si putrida humorum conditio constitueret febris typhodis naturam, necesse est, ut semper sub decursu apparerent hujus putredinis signa, qvod tamen usu non venit, atqve conditionem, nescio qvam, ad putrescendum proclivitatis sumere, nihil certe aliud est, qvam proferre hypothesis, qvam nulla omnino affirmat experientia. Soluti contra putridique sangvini

nis symptomata numquam incidere possent, nisi comitante febri typhode, qvod rursus non congruit phænomenis, qvibus notantur scorbutus & hæmorrhœa petechialis. Qvare, si fortuita tantum febrim nostram comitantur status putridi signa, nec ad reliqua ejus symptomata causalem habent relationem sumamus necesse est, internum, unde hæc proficiscuntur indicia, statum non necesarie ad febris esentiam pertinere. qvæ aliquando tantum eundem lignere & secum complicare potest. Expositio hujus status proximi symptomatum putridarum auctoris, certe non potest febris naturam evolvere, debet vero nostræ, qvam de hac concipimus, idæ consentire, ut positus hic status pro effectu, qvamvis non perpetuo, veræ typhi esentiaæ, nullam significat contradictionem. Symptomata putrida, qvippe morbosam indicantia systematis vascularis conditionem, ortam eandem a minuta gangliosy systematis nervorum vitalitate, qvod hoc sibi injunctum habet officium, ut vasorum sanguiferorum actionem salvam præstet. ex iis nasci injuriis, qvæ præcipue hoc sistema nervolum afficiant, minime quidem improbandum videtur, ex qvo sic explicari potest, cur hæcce symptomata in eam plerumque incident typhi formam abnormem, qvæ præcipua viseerum abdominis lésione insignitur. Sed non huic tantum abnormi typhi forme debentur putrida hæc symptomata, særissime etiam superveniunt, quando prægravans systematis cerebralis affectus nullis complicatur phænomenis gastricis, arque tum remotiorem cum vera febris esentia nexus habere videntur. Horum symptomatum ortum sic explicatum vult Bernhardi; par vagum, morbosam cerebri affectionem participans, efficit aliquam actionis, qva suum obeunt negotium organa respirationis, mutationem, ex qya fit ut non recte per eadem præparetur san-

sangvis, qvi, debita sic cum careat compositione, vasis, qvibus circumvehitur, morbosam, qvæ statu colliquativo cernitur, affectionem procreat. Qvod sibi vindicat hæc exposicio, pretium, problematis præ se ferre pretium videtur, neqve tamen indigna censeatur, qva pathologorum moveat attentionem. Qvi in hypersthenicos & asthenicos divisos volunt morbos, incitationis, qvæ dicitur, theoriæ sectatores, animum inprimis attenderunt ad organorum motui voluntario præsidentium torporem virtumqve defectum, qvi certe perpetuum est febris typhoidis symptoma, interioremque typhi causam in minuta vitalitate sive asthenia posita contenterunt. — De qva vero theoria ejusque pretio sententiam jam tulit experientia. Sive ad pathologiam respicias, nihil docenti, sive ad therapiam spectes, non sine detimento ægri adhibendæ, qvam sibi sumit, veritatis speciem eripiunt, qvæ seqvuntur, argumenta; ex injuriis debilitantibus num. qvam oritur febris typhodes, nisi causis, qvæ suæ sunt propriæ, simul incidentibus; & qvamvis sic his, quemadmodum aliatum rerum omnium vi, corpus obnoxium reddant potentiae debilitantes, harum tamen præsentia tanto minus pro necessaria habeatur conditione sine qva orti non potest febris typhodes, quanto certius constat, eandem vel maxime robustæ & hypersthenicæ corporis constitutioni supervenire posse; mortis ex typho periculum iis maxime iminet, qvibus phlogistica inest diathesis, incipiens typhi stadium semper est inflammatoria systematis vascularis irritatione insignitum, qvod ut regimine antiphlogistico mitigatur, ita remediis incitantibus vertitur in pejus. Quemadmodum status, quem nuper diximus, humorum, ita etiam, qvæ in functionibus animalibus cernitur, debilitas conspicua est pro effectu, non pro causa morbi habenda. — — Recentiores qvidam scrut.